

D. De Verbo aeterno.1. Quae supponuntur.

Supponimus Ioannem cognovisse Iesum Christum, Dei Filium, de quo scripsit ea quae vera esse iudicavit. Supponimus deinde non nulla de homine Iesu vera esse, non quia homo est, sed quia Deus est; ~~Supponimus~~ ~~taetia~~ unde concludimus non nulla homini attributa etiam Filio aeterno vel et Verbo aeterno attribuenda esse. Supponimus tertio Ioannem sub inspiratione divina scripsisse, non omnia perspexisse quae ad integritatem suae doctrinae pertinerent, et ideo alia concludi posse ex evangelio praeter ea quae studia litterario-psychologica de mente Ioannis concludere possint.

Primum suppositum fere infinita eliminat problemata, eorum nempe qui methodis litterario-historicis utantur et ideo veritatem inter fontes evangelii non enumerant enumerent neque vel concipiant methodum quae in veritate cuiusdam scripti fundaretur

Primum suppositum fere infinita eliminat problemata. Methodus enim litterario-historica, cum ad omnia interpretanda pariter valeat, a veritate et falsitate scripti praescindit

Primum suppositum fere infinita eliminat problemata. Methodus enim litterario-historica, cum ad omnia interpretanda pariter valeat, veritatem scripti non investigationis principium habet sed tantummodo conclusionem eamque plus minus probabilem

D. De aeterna Verbi processione.1. Quaenam sit quaestio.

Scribere potuit Ioannes: In principio erat Filius, et Filius erat apud Deum, et Deus erat Filius. Scribere potuit: In principio erat Sapientia, et Sapientia erat apud Deum, et Deus erat Sapientia. Scribere potuit: In principio erat Noûs, et Noûs erat apud Deum, et Deus erat Noûs. Scribere potuit: In principio erat Vita aeterna, et Vita aeterna erat apud Deum, et Deus erat Vita aeterna. Scribere potuit: In principio erat claritas seu gloria, vel lux vera, vel splendor gloriae, vel candor lucis aeternae, vel imago Dei invisibilis, vel Nomen Dei, vel Verbum Dei, vel Veritas, vel Caritas.

Quae tamen non scripsit Ioannes; et ideo quaeri potest cur scripserit vel dixtaverit: In principio erat Verbum.

Cui quaestioni non respondetur ubi dicitur: qui Verbum est, etiam Filium esse, unigenitum esse, in sinu Patris esse, vitam in semet ipso accepisse, claritatem ante constitutionem mundi a diligenti Patre accepisse, vitam aeternam apud Patrem esse, lucem veram esse. Neque respondetur ubi dicitur: qui Verbum nominatur, nominari potuit Sapientia, Noûs, Imago Dei, Nomen Dei, Veritas, Caritas. Non enim quaeritur quid aliud de Verbo verum sit praeter hoc quod Verbum est. Neque quaeritur quotupliciter aliter nominari potuerit qui de facto Verbum nominetur. Sed quaeritur utrum ulla sit ratio cur Verbum dicatur, utrum haec ratio sit extrinseca tantum, an forte intrinseca, et quaenam denique sit ratio vel extrinseca vel intrinseca.